

Theses medicae de calculo renum et vesicae / [David Friedrich Buehren].

Contributors

Buehren, David Friedrich.
Alberti, H. C.
Universität Erfurt

Publication/Creation

Erfurt : J.H. Grosch, 1690.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dx8snrgz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

14 13.
=

Quod DEUS bene vertat!

THESES MEDICÆ
DE

CALCULO RENUM
ET VESICÆ,

Quas

ADSPIRANTE DIVINI NUMINIS GRATIA,

Ex

AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

DECRETO ac CONSENSU

IN PERANTIQUA ELECTORALI UNIVERSITATE GERANA

publicæ Disputationis vice,

PRO LOCO

IN FACULTATE MEDICA

Ordinario

Eruditorum examini exponit

P R Æ S E S

HENRICUS CHRISTO-
PHORUS ALBERTI,

Doct. Facult. Med. & Consil. Acad.

Secreti Assessor Ordinarius,

RESPONDENTE

DAVIDE FRIDERICO *Bühren*

Göttingensi,

In Collegio Majori

Die 13. Decembris stil. vet. horis consuetis

Anno 1690.

ERFORDIÆ, Typis JOHANN - HENRICI GROSCHL,

THESES MEDICAE
DR.

CALCULI ORENIUM
ET VESICAE.

NOBIS AUCTORITATE DIGNI NUMMI GR. 12.
AM. LIII. M. A. S. H. L. T. A. T. I. S. M. E. D. I. C. A. E.
IN PARAG. OVA. S. E. C. T. O. R. I. A. I. N. U. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. E. G. E. R. M. A. N. I.
S. U. B. S. C. R. I. P. T. I. O. N. E. S. S. E. N. T.

PRO LOCO
IN FACULTATE MEDICA
ORDINATA
P. R. A. E. S. I. S.

HENRICUS CHRISTO
PHORUS ALBERTI

DOCT. FACULT. MED. & COLL. ACAD.
S. G. E. R. M. A. N. I. C. A. E.

DAVIDE FRIDERICO BÜCKINGHAMI

GÖTTINGENSI
IN CLINICA MEDICA
D. I. C. T. A. M. A. N. D. I. C. I. S. S. I. M. I. L. I. T. A. T. I. S. M. E. D. I. C. A. E.
M. D. C. C. C. C. C. C.

ERFORDIAE IN TYPE JOHANNIS - DE WITTE GELICHO



Σὺν τῷ Θεῷ.

De

CALCULO RENUM & VESICÆ.

PROEMIUM.

Alma rerum Mater Natura cum humani corporis fabricam omnibus momentis suis ponderaret, eo potissimum respexit, ut illud non modo ad tempus à supremo rerum omnium Moderatore sibi decretum sartum tectum conservaretur, sed & munia sibi propria convenienter ac ritè exequeretur, proptereaque mirà Sipientia membra omnia tam concinnè, eleganter & aptè elaboravit, ut in corpore sano nec minima particula integritate & perfectione suâ viduata reperiatur. Uti vero omnia secundum naturam in corpore constituta summâ harmoniâ conspirant, partes omnes suo officio decenter defunguntur, nec quicquam peregrini vel sibi molesti admittunt vel producunt, ita vicissim præter naturam affecte & suo quandoque naturali tono ac robore defraudate humores insuper ac Spiritus, actionum omnium Præsides ac Directores, à nativa sua indole & crase deflectentes, plurimorum morborum Autores existunt fœcundissimi: haud ultimi hujus rei testes sunt renes & vesica, communia totius corporis & pernecessaria Emunctoria, laticis-

que serosi de Massa sanguinea decedentis organa separatoria
 hac ipsa modo debilitata, modo obstructa modo inflammata,
 & exulcerata aliisque variis symptomatibus vitiata varios
 calamitosos patiuntur affectus, quos inter haud postremum
 sibi locum vendicat CALCULUS affectus ut frequentissimus
 ita pariter atrocissimus: missa proinde illa & ob materię sub
 calamo luxuriantis ubertatem commodiori tempore reserva-
 ta, (quam antea nobis publice pertractare proposueramus.) ab-
 strusissima februm petechialium natura & cura, de renum
 ac vesicę calculi Essentia, Causis, Signis atque Curatione tu-
 multuarias saltem & ob termini à Superioribus prestituti an-
 gustiam extemporaneas theses concipere ac publicę Philiatro-
 rum disquisitioni exponere visum fuit, cui nostro conatui ut
 Supremus ex alto clementissime benedicere dignetur, supplices
 divinam illius sollicitamus gratiam.

TH. I.

QUamvis utriusq; Calculi tam renum quam
 vesicę eadem fere sit natura & conditio &
 quoad causas tam materialem, quam effici-
 entem parum differre videantur; cum tamen tam
 ratione denominationis quam loci affecti, tum et-
 iam signorum aliqua occurrat discrepantia diver-
 sam quoque in nonnullis exposcant medendi me-
 thodum, visum fuit in pluribus subsequētib; the-
 sibus tractationem calculi renum præmittere Vesicę,
 cum illis ipsis aliqua ex parte prærogativam in
 corpore concesserit Natura.

TH. II.

Latinam itaque atque genericam calculi vocem originem suam ducere à calce propter analogicam quendam rationem testatur Corvinus Font. Lat. p. 228. Græci eundem per vocabulum λιθος exprimunt, unde λιθιασ. s, quæ tamen à pluribus vesicæ calculo frequentius tribuitur, ortum trahit, à parte vero affectâ sive primario calculi subjecto vocatur νεφελιθιασ, & hæc denominatio renum calculo propria est. Alij per grandines, arenulas, sabulum concretum &c. calculum intelligunt. Paracelsus nominat ipsum Tartarum, excretum vocat ludum, Helmontius eundem Dulech appellat. Germ. vocatur der Nierenstein / Lendenstein / Blasenstein. Lapidem verò à calculo in homine nõ minus quam pyrum à vacca differre pronunciat Helmontius Tract. Scabies & ulcera Scholarum. p. 260. §. 33.

Definimus itaque calculum quod sit concretum durum ac solidum ex particulis Massæ Sanguineæ variis Salinis terrestribus ac fœculentis à specifico fermento eidemque in habitante Spiritu insito corrupto in renibus & vesica productum multorum sæpe gravissimorum symptomatum autor.

Subiectum siue pars affecta in utraqve calculi specie aliud est primarium aliud secundarium in nephritide renes primario afficiuntur, ureteres vero vesica & urethra secundario, quod si vero, quod tamen rarius contingit, salvis renibus, vesicæ tantum adsit calculus, primarium subiectum omnino vesicæ tribuendum erit, excludimus proinde omnes alias corporis partes, quamvis nullam fere illarum ab ingrato hospite immunem in subiectis dispositis esse, Autorum variorum historiae & observationes testentur; prædictarum partium urinæ secretioni alias dictarum structura atqve cognitio cum ad percipiendam hanc materiam scitu sit pernecessaria, optime illa ex Anatomicorum Celebriorum scriptis petenda venit.

TH. V.

Causam vero proximam quod attinet, dividitur illa in materialem & formalem, de utraqve maximus datur dissensus inter Autores. Alii enim pro materiali causa agnoscunt pituitam, hanc solam autem insufficientem esse testatur experientia cum plurimos phlegmaticos & senes à calculo immunes videamus. Nec nostro satisfacit scopo serum ab aliis

aliis pro causa materiali allegatum, cum illud à naturali indole & crasi non deflectens, sed fluxile & salinum permanens in corpore concretiones magis impediatur. Chymici materiam tartaream salsuginosam & glutinosam accusantes propius accedere videntur, si præprimis cum Helmontio principium aliquod urinosum subtile pro ipso calculi semine agnoscant, cui & nos subscribimus sententiæ penitus intuentes ipsum generandi modum, qui nobis in excreta calculosorum urina ceu signo hujus affectus non adeò ut in aliis fallaci ac dubio progressum à minimis & fere invisibilibus ad majora demonstrat, materiamque illam crassam, limosam lentam ac viscosam non quoad omnes suas partes sed tantum quoad istas magis dispositas seminales & con-symbolicas suum contribuere symbolum arguit. Obscurior adhuc esse videtur causa efficiens quam alii adscribunt soli calori, alii frigori, alii liccitati, alii succo lapidescenti, alii astris, &c. talis autem calor excessivus locum hic habere vix videtur, cum alias febricitantes, præ aliis calculo magis vexari necesse sit, neque etiam videmus æstivo tempore calculosos magis affligi quam hyemali, quæ ratio etiam militat de altera jam adducta causa nempe frigore, cum i-

Etud per applicationem externorum & internorum
 calefacientium sat commodè alterari posset, contra-
 rium autem testatur quotidiana praxis, ut & ipsa
 cum calculo sæpius conjuncta renum inflammatio.
 Ut adeò antecedentium causarum classi istas tres
 adductas elementales qualitates una cum influxu
 syderum magis annumerandas esse statuamus. Su-
 cum autem lapidescentem spiritumque sive auram
 lapidificam cum nostro fermento convenire dici-
 mus, cum illud nihil aliud sit quam concursus Sa-
 lium Sylvestrium ac peregrinorum partim ab ipsis
 parentibus jure hæreditario, partim vero ab assum-
 tis esculentis ac potulentis specifica ac innatâ vi se-
 minali petrificâ præditis acquisitus, fracidum ac pu-
 trilaginolum spirans odorem, quo à spiritu univer-
 sali cum insito renum spiritu s. archeo confermen-
 tante in actum deducto spiritus ille gorgoneus ex-
 urgit omnemque sibi homogeneam materiam
 cum sero & sanguine ad renes delatam in tale con-
 concretum calculosum convertit, ex effectu itaque
 colligimus fermentum ipsum s. causam efficientem
 ad naturam acido volatilem magis quam alcali-
 cam accedere, consentientem hic habemus B. Dn. D.
 Cramerum qui in Comment. M. S. in Sylv. prax.
 Cap.

Cap. 55. de urinæ perfectione in renibus læsâ fermentum hoc & incolam illius spiritum specificum seq. exponit verbis: *Calculations renum non dependent à solo copioso acido in corpore peccante, sed renes sunt in causa, dum archæus s. spiritus & fermentum renum insitum sive eorum structura est depravata, tunc enim feri diverse species confluentes ob sua insita varie fermentant & per reactiones coalescunt in lapides, quod si archæus eorum probè se habet fieri non solet &c.* fermentum hoc uti ex sua natura est fluidum, ita simul cum urina à renib9 ad vesicam deferri vel in eadem produci posse quis dubitat?

TH. VI.

Causa antecedens mediata proximior jam consideranda venit, quæ in corpore delitescens apta nata est ejusmodi producere effectum, hanc constituunt particulæ Massæ Sanguineæ heterogeneæ, Ælinæ, terrestres, fœculentæ, limosæ, tenaces ac glutinosæ, hæ ipsæ cum sero seu proprio suo vehiculo ad renum interiora delatæ à specifico ibidè hærente fermento subiguntur, assimilantur, materiamq; hoc modo calculosæ concretioni suppeditant uberrimam.

TH. VII.

Causæ procatartice sive mediatæ remotiores commodè dividuntur in naturales, non naturales &

præternaturales : in prima classe sese sistit præprimis
 temperamentum melancholicum, ætas tenerior ut
 & senilis, habitus corporis obesior, vitiata renum ac
 vesicæ structura, & qui omnibus aliis præcedit, cha-
 racter hæreditarius viscerum chylicationi & san-
 gvificationi destinatorum dyscrasia ac intemperies
 nativa, ut & infelix astrorum concursus atque influ-
 xus, in secunda rerum non naturalium classe primas
 tenet Aer, qui ut nullibi fere sat purus, sed quando-
 que crassus ac nebulosus existit, ita præsertim in hoc
 affectu plurimas particulas crassiores salinas (crassiori
 licet sensuum testimonio vix obvias) fermentescibi-
 les è poris terræ nonnunquam imbibitas & autu-
 mnali tempore acidum ingenium redolentes, dor-
 mientem in corpore hostem excitare valentes, sup-
 peditat. E cibis accusantur omnes illi, qui succo cras-
 so vilcoso Salino-terrestri similiqve tartareo (ana-
 logice tali dicto) contagio imprægnati sunt, ut bras-
 sica muriâ condita, carnes sale maceratæ fumoqve
 induratæ, anserina, porcina & piscium paludiosa in-
 colentium loca, ut angvillæ, aselli, halecîs &c. item
 caseus veteranus, ex fructibus austerum ac terre-
 stre succum præbentibus, sunt cydonia,
 castanæ & omnes alij immaturi. Vina au-

stera foeculenta, tartarea, pendula, præprimis mustū
 nondum fermentatum, cerevisia recens minus de-
 foecata, turbulenta, acescens, &c. aquæ minerales li-
 mosæ & calculosum quandoque leminium secum
 vehentes. Immodica corporis exercitia ab assum-
 to statim cibo suscepta, vita nimis sedentaria, somnus
 excessivus & statim à prandio vel cœna institutus.
 Vigiliæ protractæ Excrementorum alviorum ut &
 urinæ, mensium ac hæmorrhoidum suppressio inso-
 lita, & ris usus immoderatus, animi demum tristitia,
 mœror, terror & ira, quibus & intempestivum atque
 excessivum medicamentorum diureticorum dulci-
 um & sacharatorum usum annumerare nonnullis
 placuit, in tertia Classe rerum præternaturalium no-
 tanda venit cacochymia, plethora, malum hypo-
 chondriacum, febris quartana, Scorbutus &c. hujus-
 que farinæ affectus alii, quorū materia tartarea fa-
 cta humorum μεταάσει facile in tales concretiones
 convertitur.

TH. IIX.

Nec prætereundæ sunt Differentiæ quarum aliæ
 desumuntur i. à loco, de quibus diximus, quod in o-
 mnibus omnino corporis partibus calculos natu-
 ram produxisse Autorum variæ testentur historiæ &

observationes, nos non nisi calculum renum & vesicæ hic agnoscimus. Renum nonnunquam dexter, vel sinister tantum afficitur, hincque vel in cavitate vel in ipsa substantia generatur. Vesica ut plurimum receptaculum vel hospitium illis præbet. aliæ 2. à numero, unde in dispositis subjectis plus minus generantur. aliæ 3. à figura externa & superficie, quæ alii sũt rotũdi, leves, asperi angulares. &c. 4. à consistentia, hinc alii inveniuntur silicei, compactissimi, duriores alij tophacei, molliores, friabiliores. &c. 5. à coloribus, unde dantur flavi, rubri, fusci, albicantes, cineritij, pro varietate materiæ & concrescendi modi. 6. à magnitudine, unde alii sunt magni & ponderosi, alij vero parvi sub formâ arenularum vel sabuli provenientes. Denique à natura subjecti, unde alii hæreditarii, alii acquisiti. Vesicæ calculus ut plurimum longe major ponderosior & albicans, vel cineritius magisque friabilis existit, quam renum, ipsumque à renibus ut plurimum rudimentum acquisivisse probabile videtur.

TH. IX.

Inter signa Diagnostica renalis calculi certiora, (quamvis pathognomica plurimi Autores negent) primarium merentur locum cruris stupor, ex com-
com-

compresso muscoli lumbaris, *Joas* Anatomicis di-
 eti, insigni nervo contractus, una cum convulsivâ
 testiculi intra abdomen retractione, ut & ipsa calculo-
 rum & arenularum excretio, Inter illa vero quæ
 magis sunt cum aliis affectibus communia sunt (1)
 dolorifica spinæ inflexio. (2) Nausea & Vomitus, an-
 xietates præcordiorum, cardialgia calor p.n. &c. (3)
 Dolor lumborum fixus, gravis ac pungitivus re-
 trorsum ad confinia renum magis vergens, præcipue
 circa primam lumborum vertebra, ob nervos se-
 xti paris ibidem è ramo, quem renes cum ventricu-
 lo communem habent, exurgentes. (4) Urina sub
 initio tenuis & aquosa, postea vero turbulenta, co-
 piosis quoque arenulis ac sabulo referta. Postero-
 ra hæc signa cum dolore colico, affectu hypochon-
 driaco, scorbuto, maximam habere convenientiam
 quis diffitebitur? Calculi autem in vesica præsentiam
 denotat 1. Dolor gravativus in perinæo & pecti-
 nis regione cum sensu ponderis alicujus. 2. adest ut
 plurimum urinæ mox stillicidium mox totalis sup-
 pressio cum continuo mingendi ac alvum deponen-
 di irritato ac inani conatu. 3. Pruritus & dolorifica
 sensatio in collo vesicæ & confiniis pubis, adeò ut sæ-
 pius misere afflicti loca illa scalpere ac manibus con-

tractare cogantur, 4. arenulæ & mucosa materia subinde cum urina sat dolorifice excernitur. 5. Certius signum præbet ipse sæpius excretus calculus sive etiam beneficio digitorum in anum immissorum vel catheteris in urethram intrusi exploratus. 6. Nec adeò incertum erit signum, quando suppressa in erectis patientibus urina, decubitu supino facto, compressisque pubis confiniis eadem liberior exit & quæ sunt alia hujus rei testimonia in practicum libris evolvenda. In utraqve hac calculi specie symptomata omnia, ut dolor, inflammatio, exulceratio, urinæ suppressio, ardor & stillicidium, mictus cruentus aliaque graviora accidentia signorum diagnostico-
rum naturam induunt.

TH. X.

In renibus haud adeò felicem prognosin demonstrant calculi majores, asperi ac angulares, illi enim proportionem suam ureterum ductibus minus respondentes & excludere nescii, obstructions, ischuriam, inflammationem, quid? quod ipsam mortem citius accelerare faciunt, hi vero ureterum membranas nervosas asperitate sua arrodendo vellicando ac irritando fibrarum crispaturas, dolores atrocissimos ac spasmodicas contractiones non raro funestas inferunt

runt. Hæreditarium si fuerit malum communi practi-
 corum suffragio pro incurabili habetur. Senum
 calculi ob archæi debilitatem viriumqve imbecilli-
 tatem difficilius curantur, effato Hippocr. aphor. 6.
 Sect. 6. ut & ulcus renum exitiosum plerumq; evadit.
 Sudor frigidus cum extremorum subitanea lasitu-
 tudine mortem præ foribus esse convincit. Major
 autem curationis spes affulget, si calculi sint mino-
 res granulati, leves, vel adhuc sub sabuli forma exi-
 stentes, robur corporis sit validum, urinæ priq clara,
 mox turbulenta & arenosa successive prodeant, va-
 forum urinæ secretioni destinatorum laxiorem ac
 ampliorem structuram concesserit natura. Friabilis
 ac tophaceus calculus citius quam siliceus resolvi-
 tur. Vesicæ calculus major non nisi sectione curari
 potest. Seqviorem sexum singulari quodam pri-
 vilegio ac prærogativa hic gaudere videmus, in mu-
 lieribus enim ob meatus urinarii amplitudinem fe-
 licius ac facilius excernuntur. Difficiliorem autem
 curationem vesicæ calculus, minor licet, propterea
 admittit, quod medicamenta interiq assumpta lithon-
 triptica extra spheram suæ activitatis ad illa loca
 remota non adeò promte deferantur.

Supereſt nunc ut oſtendamus, qva ratione jura-
 tum hunc, vitæ ſanitatique hoſtem, ſi præſens jam
 ſit, debellare, ejusque vires infringere, ſin adventurus
 adhuc hoſtiles illius inſultus præcavere, poſſimus:
 huic vero intentioni inſerviet Præſervatoria: illi Cu-
 ratoria. cumque videamus malum hoc ad modum
 paroxyſmantium morborum per certa temporis in-
 tervalla & rythmos gravius affligere patientes, alia
 proinde cura erit adornanda in paroxyſmo, alia ex-
 tra illum: ipſo vero acceſſionis tempore cum gra-
 viora adſint ſymptomata, curandi methodum ad il-
 lud primario dirigendam eſſe ſana ſvadet ratio: pri-
 mam igitur indicationem nobis præbet dolor, qui
 partim per appropriata interna partim externa miti-
 gandus erit. Secundam ipſæ partium criſpaturæ &
 ſpasmodicæ convuſiones, quæ fibrarum ac nervorū
 tonum depravatum ac debilitatum reſtituere, ſpiri-
 tusque illorum incolas irritatos ac injuriatos demul-
 cere ac conſopire jubent. Tertiam calculus ipſe, qui
 ſi nondum jam organis ſecretoriis, ureteribus ſcili-
 cet ac urethræ impropportionatus factus, ſui exclu-
 ſionem deſiderat. ad quam promovendam 4. Viæ
 ſunt lubricandæ & humectandæ 5. denique ut o-
 mania

omnia felicius succedant partium ac virium robur est conservandum.

TH. XII.

Prædictis scopis satisfiet tribus consvetis Medicinæ Instrumentis. Diætâ nimirum, Pharmaciâ & Chyrurgiâ. Hæc nobis primo exhibet V.S. generosum in pluribus desperatis affectibus remedium, vix autem locum hic habere videtur, nisi turgens adsit plethora cū præsentanæ inflammationis metu, coincidente simul mensium & hæmorrhoidalis fluxus inordinatâ suppressione, hâc ipsâ enim natura alleviatur, doloresqve acerbissimi ex parte remittunt; vicarium hujus erunt hirudines applicati. vid. Hier. Fabr. ab Aqvapend. libr. de oper. chir. cap. de hæmorrh. cucurbitam magnam cum flammâ multâ sæpe lapidem ex renibus viam minitantem adjuvasse, interdum ureteribus imminentem & atroces dolores excitantem retraxisse testatur Rolf. in Epit. meth. cogn. & curand. p. 311. majori autem fructu istæ à renibus ad inferiora ad ureterum ductum vesicam versus deducendæ erunt.

TH. XIII.

Pharmacia 1. pro dolore mitigando commendat medicamenta interna atqve externa anodyna

& paregorica. 2. In spasmodicis partium crispaturis atque contractionibus nervina, emollientia & antispasmodicâ 3. ad Calculi excretionem atque aliqualem resolutionem promovendam blanda diuretica ac lithonriptica. 4. Pro lubricitandis viis oleosa temperata, humectantia, mucilaginosâ, & aqvosa. 5. pro partium temperie viriumque robore conservando specifica ac confortantia, eaque omnia ex triplici regno, vegetabili nimirum animali & minerali petenda. Interna ista medicamenta omnia in fluidâ magis quam solidâ formâ exhibere consultius erit, cum partes affectæ aliarum partium atque viscerum respectu à vitalitate remotiores esse videantur. Narcotica non adeò nisi in extremo casu adhibenda, diuretica ut & alia medica menta calidiora parca manu propinanda, Lithonripticorum effectum dubium declarat experientia, melius tamen anceps adhibere remedium, quam nullum. Quibus etiam pro sollicitanda alvo abstergendisque sordibus blande laxantia atque lenientia per se intercalare proficuum esse judicamus. Inter externa remedia omnibus aliis præferuntur Enemata, hæc enim uti varia superius adducta anodyna, emollientia, nervina, humectantia &c. recipiunt ingredientia, cum affectis insuper partibus

tibus intimiorem habent attactum, hinc fere omnibus illis scopis respondent, observandum tamen ne illorum quantitas sit excessiva, unde comprimendo affectas partes, dolores magis augeant, nec etiam nimis calida vel salino stimulo acriora reddita sunt applicanda, ab illis enim intestina graviter sæpius læsa, ab his vero tenesimum acerbiorum factum, practi-
corum testantur monumenta. His succedunt un-
gventa, linimenta, Cataplasmata, fodus, & quæ maxi-
me hic laudanda, balnea atque infessus. Prædi-
ctorum remediorum materiam uberrimam formu-
lasque exhibent *Celeb. Wedel. tract. de Medic. fac. it. amæn. mat. med. Gieswein. in hodego Med. Macaf. in prompt. mat. Med. Morell. de form. Ludov. in Pharm. contr. Myns. in armam.* ut & omnes alij Scriptorum Practici & Chymi-
ci, quibus in tanta & fere immodica rerum copia
plura superaddere supervacaneum erit.

TH. XIV.

Vesicæ calculi si plures sint atque minores mea-
tuique urinario & urethræ magnitudine sua respon-
deant, eandem cum renali calculo medendi metho-
dum, eademque in pluribus medicamenta deside-
rant, habitâ saltem in applicatis externis remediis

affecti loci diversitatis ratione. Rara autem & fere
 pauca erunt ista medicamenta, quæ ore assumpta a-
 ctivitatæ suæ sphaeram tam longe lateq; ferant, ut ad
 calculum majorem in vesica concretum resolven-
 dum ea extendatur, intentatum tamen nil relin-
 quendum, cum & hujus per remedia interna lithon-
 triptica feliciter curati, à nonnullis licet in dubium
 vocata extent exempla. Chirurghi atqve Practici
 varios hic liqvores resolventes vesicæ per syringam
 injiciendos cum Helmontio proponunt, nil quic-
 quam vero istis profectum fuisse experientiâ constat,
 unde ad lithotomiam ceu sacram anchoram con-
 fugiendum erit, caute vero in hac administranda a-
 gendum esse tragici ac funesti plurimi edocent ca-
 sus, respicienda proinde hic erit subjecti conditio, æ-
 tas, vires & alia, unde senes, valetudinarios & obesos
 eandem vix sustinere cernimus. De modo extra-
 hendi vid. *Barbett. Chirurg. p. 89. Fabric. ab Aquapend.*
 & alios chirurg. celebriores, ut & *Rolfinc. Consil. Med.*
pag. 838.

TH. XV.

Extra paroxysmum vomitoria à nonnullis lau-
 data commodiorem in dispositis subjectis inveniunt
 locum, securius etiam & majori cum fructu adhi-
 bentur

bentur lithonriptica ac diuretica penetrantiora, cumque causarum antecedentium hic ratio simul sit habenda, cathartica quoque non erunt inutilia, continuus autem hic sit medicamentorum usus, cum è chronicorum censu hoc malum sit haud ultimum. Viscerum robur atque tonus, præsertim renum atque vesicæ, ut & aliorum chylicationi & sangvificationi inservientium probè respiciendus, unde stomachica non penitus sint exclusa. Pro humorum vero lentorum ac viscosorum cum latice ferofo de M. S. ad renes & vesicam deproperantium correctione remediaolina alcalica præsertim volatilia, quin & præcipitantia, & ialia atque Fea erunt convenientia.

TH. XVI.

Præter jam adducta in *preservatione* exactum observari debet Diætæ regimen, unde omnia ista sub causarum procatarticarum classe comprehensa probè hic sunt repetenda, contrariorum regula illis opponenda, omniaque alia in vitæ ac victus genere obvenientia ad naturæ sanitatisque ductum atque leges ordinanda, ipsa vero Symptomatum variorum natura atque cura desideratæ brevitatis causâ suis locis è celebriorum Practicorum scriptis erit desumenda.

Soli DEO sit Laus Honor & Gloria!



COROLLARIA.

I.

Liquor betulæ ab Helmontio commodatus in calculo egregium præbet abstersivum.

II.

Potus Theæ calidus plurimis calculi indicationibus satisfacit.

III.

Lapis Ludus ad mentem Paracelsi præparatus haud contemnendum in nephritide existit specificum.

IV.

Sectio calculi renalis est absurda.

V.

Inter generosiora calculi remedia liquores ætherei, qualis est liquor Alcahesticus & spiritus Mundi haud ultimum sibi locum vendicant.

VI, Salia

VI.

Salia volatilia oleosa ad modum Sylvianum præparata in calculo, absente calore, sunt maxime proficua.

VII.

Dubii effectus est succus graminis & inde paratum decoctum à Sylvio in calculo sæpius laudatum.

III.

Majorem laudem in calculo meretur Sal volatile Tartari.

IX.

Therebinthinata in pluribus renum affectibus sunt optima specifica.

X.

Aroph Paracelsi ut & Driff Helmontii in calculo indifferenter adhibere vix consultum erit.

XI.

Cantharidum usus in calculo sæpius exitiosus.

XI. Hel-

XII.

Helmontianum remedium ex sanguine hirci desumptum sana ratio comprobare videtur.

XIII.

Medicamenta quo magis ad nostram naturam accedunt eo sunt convenientiora & vulgo mumialia dicuntur.

